



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1691. usque ad annum 1701

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1781

VD18 13322648

§. 41. Nova Eliæ Dupini Bibliotheca apud Archeipiscopum Parisiensem
denuntiata.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67627](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67627)

phemam damnavit, eique censorium stigma inussit: Cum ergo P. Honoratus se ab exteris ubique damnatum, & a suis derelictum, oppressumque cerne- ret, ipse hanc doctrinam ceteraque ei haud absimilia retractavit.

Sæc. XVII.
A. C. 1693.

§. XLI.

*Nova Eliæ Dupini Bibliotheca apud
Archiepiscopum Parisiensem
denuntiata.*

Jam anno hujus sæculi nonagesimo Elias Du Pin Sorbonæ Doctor ac Regius Professor novam suam Scripto- rum Ecclesiasticorum Bibliothecam con- scribere cæperat, atque hoc anno se- ptimum volumen e prælo receperat: mox autem nonnulli, qui Sorbonæ Doctores toties tamque facile in cen- suras librorum præcipue a Jesuitis edi- torum prorupisse, moleste ferebant, Dupini libros velut pluribus, iisque e- normibus mendis scatentes, apud Fran- ciscum Harlæum Parisiensem Archi- episcopum denuntiarunt. Hic vero, ne hac in re præcipitis judicii calum- niam sibi accerferet, quatuor Parisinæ Facultatis Doctores selegit, quorum singuli quodlibet Dupini volumen se- dulo pervolverent, & diuturna æque ac matura inter se deliberatione ha-

*Binner l. c.
pag. 730.
Argentre
l. c. p. 390.*

Sæc. XVII. bita desuper suum proferrent iudicium:
 A. C. 1693. ipsemet etiam Archiepiscopus, omni
 possibili attentione hos libros ad trutinam vocavit.

§. XLII.

Dupini Declaratio circa objectos sibi errores.

*Argentre
l. c.*

Postquam Deputati Doctores in pluribus Sessionibus auditi retulerant, in cunctis Dupini libris plurimas falsas juxta ac temerarias propositiones reperiri, Archiepiscopus hoc opus adeo non Ecclesiæ proficuum, ut potius illud, si promiscua illius lectio permitteretur, fidelibus oppido noxium fore, censuit: quocirca Dupinum præsentibus Deputatis Doctoribus tertio adesse iussit, omnique humanitatis genere exceptum rogavit, ut rationem redderet

- I. De dubiis a se motis circa libros Canonicos.
- II. De sprete Patrum traditione.
- III. De contemptu Conciliorum.
- IV. De negato sacrae Sedis Primatu.
- V. De hæresum & Hæreticorum favore.
- VI. De irrisione hominum devotorum.
- VII. De vilipensione SS. Patrum.
- VIII. De injuriis in Casuistas & Scholasticos effusis.
- IX. De neglecto Auctorum selectu.
- X. De dictis contra Symbolum Apostolorum.